

adoratur; nam Ecclesia non solum colit, & adoratur Naturam Divinam, sed etiam Relationes; quinimo Apostolus ad Ephe. 3. hæc habet: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi; ex quo omnis Paternitas in Cælis, & in Terra nominatur*: Fatendum igitur, Relationis Divinæ secundum proprium conceptum dicere perfectionem.

Unde autem ortum Systema illud sit, quod in Scholis Theologi non pauci, & quidem haud infimæ notæ intulerunt; Divinas videlicet Relationes secundum proprium conceptum perfectionem minime importare, declarabo. Noverunt Theologi illi, quod Fides docet in Trinitatis Mytherio; nimirum summam esse Personarum Æqualitatem; quapropter dixerunt: si Relationes Divinæ secundum proprium conceptum perfectionem induerent, profecto Divinæ Personæ æquales in Perfectione non essent, quia Pater Paternitatem habet, quam Filius non habet; Filius habet Filiationem, qua Pater caret; Spiritus Sanctus Spiritationem Activam nullam habet, qua tamen præditi sunt Pater, & Filius. En qua Argumenti specie delusi fuere Theologi illi.

Mera tamen hæc est Argutia nullo rationis pondere nixa. Esto enim Pater ea Paternitate potitur, quam Filius non habet; Filius ex adverso Filiatione donatus sit, qua caret Pater, sunt nihilominus æqualis inter sese Perfectionis, eo quod Filius aliquid possidet, quod tantæ Perfectionis est, quantum habet in Patre Paternitas; & Pater vicissim continet in se aliquid, quod

tantum complectitur perfectionem, quantum Filius tribuit Filiationi. Quid istud est? Paternitas ipsa in Patre; Filiationis in Filio. Sed quid de Spiritu Sancto dicendum erit? Idem omnino; nempe, passiva Spiratio illiusmet Spiritus æqualem in sese perfectionem continet, ac habeat in Patre Paternitas, vel Filiationis in Filio, vel etiam Utriusque Activæ Spiratio, qua ipsum spirant Spiritum Sanctum. Deinde dico, verum absolute non esse, Patrem non habere Filiationem, Filium non habere Paternitatem. Pater enim secundum conceptum explicitum non habet Filiationem; bene est: habet tamen illam Pater, ut Deus est: & ita de Filio, & Spiritu Sancto, servata utriusque Relationis ratione, dicendum venit, Quamobrem nihil ex eo Argumento extunderè possunt Theologi illi ad sui Systematis positionem firmandam. Atque hæc de Divinis Relationibus dicta sufficiant; quibus integram de Sacrosancto, atque imperscrutabili Trinitatis Mytherio Tractationem, anno scholastico desinente, absolvimus, & Scholæ nostræ januam obferamus. Novo ineunte anno Scholæ iterum ingressuri, si nos incolentes Trinitas ipsa servaverit, Audientiam nostram in amœniora præta deducemus; ut quantum sacri cujusdam horrois pertractati Mytherii alta profunditas vestris mentibus hucusque ingessit, tantum oblectationis, atque jucunditatis afferant festiviora, qua tractatur tunc erimus, humanoque captui longe accommodatiora Contraversiarum Argumenta.



# TRACTATUS SECUNDUS DE MUNDI OPIFICIO, PROTOPARENTIBUS, ET PARADISO TERRESTRI. DISPUTATIO UNICA.

## PRÆLECTIO I. PRÆLUDIALIS.

*In Divinorum Naturæ Operum indagazione tria Viri Theologo Principii loca ponenda insinuantur: primo; eorum Notitiam ex Sacris Litteris non esse curiosius petendam; sed ea potius naturali ratione investiganda: Secundo; que naturali ratione probantur, si quo forte modo Sacris Litteris repugnare videntur, cum Divina Revelatione esse concilianda: Tertio; si nullo modo conciliatio fieri possit, naturalem rationem, que Sacris Litteris adversatur, tanquam fallacem abjiciendam, & Divinæ Revelationi penitus inherendam.*



Habita de Sacratissimo Trinitatis Mytherio Theologica Tractatione, postulat Officii ratio, & a Magistro Sententiarum servata docendi methodus, ut de Creatione Mundi, seu (ut Theologi de Schola loquuntur) de Opere sex dierum Disputationem aggrediamur. Ita scilicet, considerato primum Summo illo, quo solo fruimur, Bono, Creaturas nunc, quibus utendum dumtaxat nobis est, attentis animis speculabimur: In qua quidem obvianda provincia, non levi sub ipsum statim initium difficultate detineor; quam tamen si modo feliciter expedierim, certa mihi deinceps docendi patebit via. Istud enim Argumenti genus dum tractant Theologi ferme omnes, in illum impingunt scopulum, quod eas in prescurandis Divinis Naturæ Operibus tenendas Leges existiment, quas in cæteris Theologie partibus, ubi Opera Gratiæ, Mytheria Fidei, Disciplinæ, Morumque Regulas tractant, servare, atque tenere consueverunt. Nempe cum in iis pertractandis ad Sacrarum Scripturarum Auctoritatem, tanquam ad certum Religionis, & Fidei Canonem, confugere soliti sint (alegatis, si forte repugnent, sensuum experimentis, ac naturali etiam Ratione filere iusta) idem sibi in retergendis Naturæ arcanis, scrutandisque Dei Conditoris Operibus faciendum arbitrantur. Quodque in eorum quibusdam dolendum magis, si quem forte Philosophum viderint de iisdem paulo aliter sentientem, quam ipsa prima Sacrarum Scripturarum facies præferre videatur, Hæreticum statim inelamant; ac pro ea, quam in re litteraria sibi arrogat, auctoritate atrocissimis Censuris inurunt. Quis hæc, rogo vos, æquo animo ferat? Unde non modo Philosophis omnis in investiganda Naturæ libertas tollitur, sed & Theologis ipsis in explicando, quod modo suscipimus, Mundi hujus Opificio ju-

gum imponitur nulla prorsus ratione ferendum. Si enim, ut in Fidei, Morumque Quætionibus sit, ita in Creationis Operibus explicandis Sacrarum Scripturarum narrationes juxta proprium, ac nativum verborum sensum semper accipiamus; nihilque Rationi, nihil sensuum experimento trihuamus; qui quæso explicare aggrediamur, quæ miro quodam, mysticoque verborum involuero obvolvitur Moyses potius, quam narravit sub ipsum statim Genesios initium? Productam E. G. omnium primo Lucem quamdam erraticam, nulli interim subiecto hærentem: Dies ex vespere, & mane coalescentes ante Solis, & Luna productionem a Deo conditos: Aquas, nescio quas, super Firmamentum positas: Lunam ex magnis Luminaribus alteram a Moysse dictam: Stellas omnes Cælo infixas, & inhaerentes: Cardines a Deo positos, quibus Univerfus volvitur Orbis: atque id genus longe multa, que Sacrarum Scripturarum Interpretes non exercent modo, verum etiam gravissime torquent.

Hos igitur Scopulos ut vitemus, certamque sternamus viam, quam in suscepta de Divino Mundi hujus Opificio Tractatione tenemus, tria hæc Principii loca ponenda existimamus: primum; non eas esse Theologi partes ut Divinorum Naturæ Operum notitiam ex Sacris Litteris curiosius petat; sed, ea potius naturali Rationi investiganda relinquat: alterum; sit bene officio suo functum iri Theologum, si quod de Naturæ Operibus naturali ratione probatum viderit, hoc ipsum cum Sacris Litteris, Divinaque Revelatione concillet, si quo forte modo repugnare videtur; non intemperanti, ut plerumque ab impericioribus sit, Censura configat, ac dampnet: postremum; si omni adhibito studio conciliatio fieri omnino non potest, rationis videlicet naturalis, Divinaque Revelationis Sacris in Litteris factæ, jus demum Theologo erit, fallacem, errantemque Rationem pronunciare, que contra quod Fides habet, contra quod Prima Veritas Divinis in Litteris revelavit, præsumit aliquid demonstrare. Quæ tria Principii loca dum pono, non modo quam in suscepta Tractatione viam ingrediar, desinio, statuoque; verum etiam certos & Theologis, & Philosophis fines constituo, quibus sua Utrique jura in judicandis Naturæ Operibus circumscribant: ne vel Theologi Philosophos rerum naturalium investigatores immetitis Censuris imprudenter inurant, vel Philosophi Theologos Divini Verbi interpretes, ubi recta de rebus etiam naturalibus judicicia ferunt, despiciant pro more suo, atque contemnant. Ad rem itaque veniamus.

Ac illud primum, quod ajo, Divinorum Naturæ Operum notitiam in Sacrarum Scripturarum



Codicibus non esse querendam, a nemine sic accipi velim, quod eorum Scriptores Codicum in rebus ad Naturæ ordinem spectantibus referendis labi potuisse, aut re ipsa lapsos esse existimem. Absit dicto blasphemia. Fuit hæc Arminii, fuit Episcopi Profanorum audacissimorum temeraria Sententia, Bonorum sensu rejecta, atque damnata. Deus enim Apostolorum, ac Prophetarum ore locutus Sacris in Litteris, quidquid demum dixerit, seu sit illud supra Naturæ ordinem positum, seu Naturæ ordine comprehensum, Suprema semper Veritas est, falli, & fallere nescia. At non esse rerum naturalium notitiam ex Sacris illis Codicibus hauriendam dico, quod nec eo sine sint editi Sacri Codices, ut per eos Naturæ arcana docerentur Homines; nec ea sint editi methodo, quæ detegendis Naturæ arcana sola sufficiat. Quorum enim Prophetas, atque Apostolos Divini Spiritu affiatos Sacros illos Codices scripsisse existimamus? Forte ad Mathematicas, Physicas, Medicas, Astronomicas, aliasque id genus Contractiones dirimendas? Ac non potius, ut Scientiam salutis Lectorum animis infererent, ut Dei, & Christi ejus notitiam Fidelibus traderent; ut ad Dei, Proximi que Amorem, in quo Lex universa posita dicitur, Homines informarent? Auctior hic Gentium Apostolus 2. ad Timoth. 3. omnia Scriptura, inquit, divini inspirata verba sunt, ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eruditionem in justitia; ut perfectus sit Homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Nimirum Justitiam tradere, Moremque componere Divinarum Scripturarum unus est Scopus. Hinc & ad Titum Discipulum alterum cap. 1. scribens idem Apostolus, Episcopum Sacrarum Scripturarum Scientia instructum esse vult, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere: In doctrina, inquam, sana; hoc est, ut Patres interpretantur, in doctrina salutis, Pietatis nimirum, & Fidei; non in Physicis Disciplinis nihil ad æternam Salutem conducentibus. Quid enim ad salutem, pietatemque refert scire, cujus figura Terra sit? Sret ne, an moveatur? An ex quinta Substantia sint Cæli? An corruptioni obnoxii? Fluidi ne, an solidi? Num Ignis inter Elementa sit computandus? Horum ergo, aliorumque non absurdum, notitiam frustra quis in Sacris Litteris querat.

Quo circa Baronius, summus illud ætate sua Purpuratorum Principum Sidus de Motu Cælorum (quæ tunc Quæstio Romanos nimirum exercebat) a Clemente VIII. interrogatus, quid secundum Sacras Litteras sentiendum esset, respondisse fertur: Spiritus Sancto Sacris in Litteris loquenti fuisse consilium, docere nos, non quomodo Cælum eat, sed quomodo sit eundem in Cælum.

Sed nec ea via, ac ratione procedunt Scriptores Sacri, ut ex illorum dictis, ac pronuntiatis certam, planamque rerum naturalium notitiam accipiamus. Ii quippe, si quando vel in Sacris Historiis enarrandis, vel in Fidei Dogmatibus, Morumque Regulis tradendis occupati res forte Physicas, & ad Naturalium Scientiarum criterium spectantes attingunt obiter, non pressas tunc, accuratasque loquendi formulas, quales Stilius Didacticus postulat, soliti sunt usurpare; sed ad Vulgi usum accommodatas, & ab externo sensuum experimento petitas; quibus si religiosus, & recte sensu stare velimus, aut in errorem labemur illi, aut misere fluctuabimus in incerto; quod sextentis liquet Exemplis. Sic *Isaie 13. venientibus* (scilicet Medis) *de terra procul, a summitate Cæli, seu (ut vertit Malvenda) de extremitate Cælorum* futura Babyloniorum devastatio ar-

tribuitur: phrasi scilicet ex Populari opinione desumpta (ut ait Tirinus) quæ Cælum non sphericum, sed hemisphericum putat; illudque in extremis Terris descere, atque illic terminari stultissime ponit: sic *Job. 26. Montes* ( ut plerique intelligunt apud Malvendam, & Menochium ) *Cæli columna dicuntur*, ab externa nimirum Oculorum specie, quibus Cælum summis Montibus videtur innixum: sic ad Mundi finem *Stellæ de Cælo casure* leguntur *Matth. 24.* quod Methœora, acrisque inflammationes in longum ductæ, cadentibus Stellis per similes, Stellæ vulgo credantur: sic *Sol* ( media die ) dicitur *incallescere Exod. 16.* non quod summo mane frigescat Sol, aut quidquam interdum de suo ardore remittat, quod subinde recuperet; sed quod matutino tempore, cum adhuc nocturnum frigus aerem occupat, Solis ardor minus sentitur in nobis, ipseque, idcirco Planeta, quo altius ab Horizonte procedit, nocturnumque depellit frigus, sensum incallescere Rudioribus videatur; quasi in ipso Sole, ac non potius in Aere, seu in Hominiibus ad Solem expositis cresceret, aut decrederet ardor: sic *Actuum 27.* ubi Pauli Apostoli in Adriatico Mari navigatio narratur, Nautæ circa noctis medium observasse dicuntur, *affertur sibi aliquam Regionem*; ita quippe Textus Græcus habet, *ἁρξάντες*, phrasi utique familiari ab externo, atque fallaci oculorum Experimento petita, quod Navigantibus moveri litora, & loca remotiora accedere, vel recedere videantur: *Provehimur portu, Terræque Urbisque recedunt* Versus est apud Virgilium perquam notus. Quia etiam in re Historica, quæ planiorem, ac simpliciorum Stilum postulat, idem plane Sacris in Litteris observamus; nempe loquendi formulas non ex rei veritate, sed ex Vulgi sensu, & opinione usurpata; ut *Actuum 2. cæcuso* in Apostolos Divino Spiritu dicto Sacro Pentecostes, *Judei Hierosolymam convenisse* leguntur *ex omni natione, que sub Cælo est.* Putatis per hanc veritatem, fuisse illic Japponios, Sineses, Garamantas, & Indos? Fuisse Tartaros, Americanos, & Scythas, aliosque tam multos sub utroque Polo, Arctico, & Antartico natos? Et *Lucæ 2.* Christo proxime nascituro, *existisse* dicitur *Edictum a Cesare Augusto, ut describeretur universus Orbis.* Itane quæso totius quæ late patet Orbis Imperium obtrinebat Augustus, ut universum conscribi juberet? Aut ita in prophanis Historiis erimus peregrini, ut nesciamus, longe abfuisse Romanos a totius Orbis Imperio? Cujus amplam quidem partem armis victricibus occupaverant; sed revera opinione minorem, si cum tot aliis Provinciis, ac Regnis adhuc indomitis conferatur. Quid ergo? Sunt illa, non ex rei veritate, sed ex Vulgi opinione petita loquendi formulæ: Vulgi, inquam, Orbem universum ea dumtaxat parte conclusum existimantis, quæ sola iis Temporibus cognita erat; quæque Romanorum Imperio suberat, hominumque Judæorum commercio patebat.

Quamquam quid verbis, quid congestis exemplis est opus? Cum Augustinum ipsum, Doctoremque Angelicum consentientes habeamus, Moysen in Orbis Creatione describendam (cujus causæ nostra hæc instituta est Disputatio) Vulgi lingua locutum, stilum quoque fenum ad rudis, hebetisque Populi captum demississe. Nec meliori illi Responsi objectas interdum ex Scripturæ verbis Difficultates expediunt, quam quod rudi Populo Moyses condescendens, quæ sensibus appareant, scripserit potius quam quæ Eruditis probentur Ingeniis, & Philosophicis Disciplinæ probe callentibus.

Quæ cum ita sint omnia, quis, quæso, nisi

cere-

cerebrum in calcaneo gestet, per hujusmodi Sacrarum Scripturarum ambigua verba, per incultas & ad Vulgi capum inflexas loquendi formulas Quæstiones Physicas, Mathematicas, Astronomicas, aliasque id genus dirimendas sibi sumat? Aut in iis agitandis, finendisque, ubi rationum præsidia defant, Prophetarum, & Apostolorum Oracula ambitiosus ostentat? Quisquis id egerit, vereor, ne parem cum Roberto Fluddio fortem subeat, quem Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto tanquam Sacrilegum, atque Blasphemum damnavit Academia Parisiensis, quod novam quamdam Philosophiam Sacrarum Scripturarum Oraculis superstruere tam inepte tentasset, quam impie. Is etenim ( ut de nova illa Philosophia ex Sacris Litteris delibata non nihil dicam ) non esse Cælos sphericos demonstrabat, quod tanquam pelles extensi dicitur *Psal. 103. extendens Cælum sicut pellem*; non esse fluidos colligebat, quod *solidissimi quasi are fusi* dicitur *Job. 37.* Terram navis instar aquis innatare, ferrique desuper distabat, quod *Psal. 135. scriptum* legatur *qui firmavit Terram super aquas*; Ignem ex Elementis negabat esse unum, quod illum ab Elementis contradistinguit *D. Petrus Epist. 2. cap. 3. Elementa Ignis ardore subsistent*; non esse Tonitru Meteororum aliquid contendebat, sed Dei Omnipotentis Vocem homines perterrentis, quod *Psal. 17. scriptum* sit: *Intravit de Cælo Dominus, & Attonitus dedit vocem suam*. Quid plura? Orbiculare Circuli ambitum, ut alia longe multa parvis insulstitatis omittam, Orbicularem, inquam, Circuli ambitum triplum dumtaxat esse Diametri, nec parte adhuc aliqua superare, contra sensibile Geometriæ Experimentum ostendere nitentur, propterea quod *lib. 3. Regum cap. 7.* scriptum sit, *Vas illud ingens rotunda forma in Salomonis Templo positum, quod Masu fuisse vocabatur, decem cubitos a labio ad labium habuisse, triginta vero per circuitum. Vah blasphemum, ac sacrilegum Philosophastrum! Non est hoc, credite mihi, non est hoc, Dei Verbum excipere, colere, venerari; sed spernere, sed prodigere, atque in contemptum adducere. Nec enim, ut nos Physicos, Mathematicos, Astronomos, Geometras faceret, Apostolorum, & Prophetarum ore locutus est Deus; sed ut Fideles, ut Pios, ut Justos efficeret: ac ille quidem Scientiam salutis Scripto, Traditioque Verbo, eoque plano, distincto, & accurato per sese nos docuit: tanta illi Salutis nostræ cura fuit. Prophanas vero Disciplinas Hominum studio, diligentia, meditationi reliquit; *Mundumque*, ut loquitur Sapiens ( *Ecclesiastes 3.* ) *tradidit disputationi eorum.**

Interea vero ( quod secundi Principii loco positum volo ) quia nonnulla Sacris in Litteris interdum occurrunt ex occasione, ac præter insinuatam, quæ cum ad Physicam, ad Astronomiam, ad Mathematicam referantur, non satis prima fronte cum receptis Disciplinarum illarum Theorematis congruant; nonnulla vicissim recentium Philosophorum Systemata in lucem produnt, quæ cum aliquo Fidei nostræ Capite Sacris in Litteris revelato collidere prima facie videntur; præcautio tunc opus est Theologo Viro: non illi præcipitandum judicium; non illico in Philosophicis Opinionibus, tanquam Dei Verbo contrarias, ferenda Censura; sed omni ope, ac studio admittendum, ut cum Sacrarum Scripturarum, loquendi formulis probata Philosophorum Systemata conciliantur; ne aut fallere putetur Dei Verbum, quod rectæ Rationi repugnet; aut delectare humana Ratio videatur, quod Supremæ Veritati adversetur. Sic sane erimus Theologi, ut

debemus. Rem in Exemplo ponamus: Telluris motum E. G. circa Solem immobilem rationibus haud ita contemnendis ostendit post Copernicum, veterisque Pythagoricos recentium Astronomorum bona pars, ac etiam fortasse melior. Non damnat modo; non proferbit Ecclesia: modo, inquam: quamquam enim Galilæus, hujusce Systematis instaurator, illustrator, & vindex, haud ita propitium Romanum Cælum initio statim invenit; secutus tamen inde temporibus, atque hac ipsa Ætate nostra Viri plerique pietate, ac religione præstantes, nonnulli etiam Purpura eminentes cum Galilæo, cum Copernico sentire libere permittuntur; modo certum, indubitatum Systema non dicant; sed commodam Astronomiæ ubi Hypothesim faciant: ut ex Decreto S. Congregationis S. Officii Anno millesimo sexcentesimo vigesimo perfectum est. Quid tu ergo, Censuræ Egredie, Copernicanam Hæresim mihi deblateras? Quid ingeniosa Hypothesi ab Ecclesia permissa, imo & ab Ecclesia ad emendationem Calendarii Romani quondam postea Erroris notam africas? Quod tibi forte nonnullis Scripturæ locis Solis motum, Terræque stabilitatem suaveribus repugnare Sententia illa videatur? *Genes. 1. Sol egressus est super Terram: Psal. 92. firmavit Orbem terræ, qui non commovebitur: Ecclesiastes cap. 1. Terra autem in æternum stat: oritur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur: & Josue cap. 10. ( jubente Judæorum Duce, ne Sol contra Gabaon moveretur ) stetit Sol in medio Cæli, & non festinavit occumbere spatia unius diei.*

Egredie vero, & erudite. Ob ea paucula Scripturæ verba Censoriam virgam exerceo? Quidni potius, si Theologus es, donec ingeniosum Systema damnet Ecclesia, laudata Scripturæ verba ad commodum sensum inflectis? Ut quæ pro immobili Terræ stabilitate jaclantur, ea de firmitate dumtaxat, consistentia, perdurante, localem motum nequaquam excludente, intelligantur; namque & Cælos, seu *Æthera firmasse* scriptum Divina Sapiencia dicitur *Proverb. 8.* cum tamen ab ea Cælorum firmitate Motus juxta Ptolomæi Systema nequaquam abhorreat. Quæ vero pro Solis mobilitate ex Sacris Litteris proferuntur, hæc non ex rei veritate, sed ex Vulgi opinione, communicque more loquendi sint dicta; ut ad rudis Populi sensum sese accommodarent Scriptores Sacri: quod aliis tam multis Exemplis dedimus manifestum: atque in hoc ipso, quod de Josue præsertim obicitur, certissimum est; ex Vulgi scilicet opinione id esse dictam, si tota rei gestæ Narratio diligentius attendatur. *Sol*, inquit *Josue, contra Gabaon ne moveris: & tamen cum Tellus Solis comparatione exigua Moles sit, & Gabaon in eodem Terræ Globo veluti minutissimum Punctum; quid quæso Soli præcipitur, ne moveatur contra Gabaon? Ita-ne huic Puncto respondere potuit ingens Solis Globus, ut contra illud aut moveretur, aut staret? Ad vulgare igitur oculorum judicium alluit Josue; nostris enim oculis Sol apparet veluti discus duobus ad summum palmis dimetiendus, ac super exiguum Cæli spatium percurrens. Addit in historica Narratione: *stetit itaque Sol in medio Cæli*: at Cælestes Orbis, utpote sphericæ ( si exacte loqui velimus ) ut extremis, ita quoque medio carent; nullumque in femita, ad lineam circulari excogiri medium potest. Illud itaque ad Vulgi sensum interpretari nescit est, quod illi medius videatur Cælorum locus, qui ab Oriente, & Occidente aequaliter distat. Clauditur tandem Narratio his verbis: *non fuit antea, nec postea tam longa Dies.* Ita ne vero nulla unquam in toto terrarum Or-*

be



be longior dies illuxit? At Regiones sub utroque Polo sitas peragratis exploratum est, Solem illic lucere diutius, longioresque contingere dies: imo hoc ipsum demonstrativa, & evidentissima ratione ab Astronomica Scientia Peritis probari, certissimum est. Judaici itaque Populi, cui Solis effectus in Polaribus Regionibus erant ignoti, accommodata Narratio fuit. Id ni dicamus, Sacrosque Scriptores in iis de Solis motu, Terraque stabilitate loquendi formulis non ex Vulgi more locutos fateamur, periculum est, ne & pari licentia, patrique Divinarum Scripturarum abusu hoc ipsum Copernici, & Galilaei de Terrae mobilitate. Systema, quod suis inconsiderate Censuris inurunt perique Theologi recentiores, demonstrare aggrediantur morosis quidam Sacrorum Verborum Exactor. Cum enim tam sepe Sacris in Litteris Orbis terrae Cardinibus dicatur Impositus, Regum 1. cap. 2. Domini sunt Cardines Terrae; Proverbiorum 8. ad huc Terram non fuerat, & flumina, & Cardines Orbis terrae; Cardines vero, si preesse loqui velimus, rem versatilem, mobilemque impositam sonent, qua super iis volvitur, vertaturque; quid inde, rogo vos, consequetur, nisi mobilem esse Tellurem, atque versatilem, quae suis imposita Cardinibus certa lege volvitur, agiturque? Eo vel maxime, quod & Job cap. 9. v. 6. Deus Terram de loco suo commovere dicatur: quod citra figuram, & veritatem dictum volent morosis verborum Exactor.

Sed fiat haec obiter dicta, non ut Copernici, & Galilaei patrocinium suscipiamus, quorum Opinionem nunquam nobis fuit animus adoptare, aut plusquam verisimilem arbitrari; sed ut Theologos avertamus a pertrahenda nimis facile, imo a contortenda in istud Quaestionum Genus Sacrarum Scripturarum Auctoritate, eisdemque a ferenda, quod iniquis est, in partem alteram impendenti Censura dimoveamus.

Alia quid referam recentis Scholae Systemata inconsideratis quorundam Theologorum Censuris in operi solita? Essentiam Corporis physici in extensione Quantitatis perique nunc Philosophi ponunt, Cartesium secuti; ipsamque Substantiam a Quantitate minime distinguunt. Verane, an Somnia narrent, non inquiri: at, quod certo novis, ita illos philosophari permittit Ecclesia. Quid tu ergo, Doctor Egregie, Censuris illos inuris? Et quos communis Mater fovet ut Filios, tanquam Ethnicos, & Publicanos execratis, quod tibi forte Sacrosancta Eucharistiae Fidem labefactare videantur? Studium, Zelumque pro Domino Dei laudo maxime, atque commendo; at secundum Scientiam velim esse. Melior longe Theologus eris, si permissum interim, ac toleratum ab Ecclesia Systema cum Eucharistiae Fide conciliaveris. Quod forte non incommode fiet, si dixeris, Substantiae quidem panis Mutationem, in Eucharistiae Sacramento fieri solitam, ab Ecclesia fuisse definitam; non ita tamen definitum esse mutationis Modum, peradeque stare Mysterium, si mutata simul cum Quantitate substantia, sola maneat Sensationis externae nostris in Sensibus facta (quod Cartesius existimat) ac si sola mutata Substantia, vera cum ceteris accidentibus Quantitas maneat, quae reipsa sensus nostros afficiat; quod Peripatetici arbitrantur. Eaque de causa Tridentinos Patres Specierum, sublata Substantia, remanentium Vocabulo fuisse usos; cum Accidentia nominare possissent; videlicet ut ea Voce Specierum Sensationes illas simpliciter significarent, quas in Sensibus nostris perinde fieri & Cartesiani, & Peripatetici proferunt; seu cum Substantia indistincta Quantitas pereat, seu

distincta non pereat. Id ni dicas, sed Cartesianos, donec in eos Sententiam Ecclesia tulerit, violata Fidei postules, non Theologus es, sed audacissimus Censor: non pro Fide, sed pro acceptis Opinionibus pugnas: non pro Ecclesia, sed pro Aristotelica Schola decertas.

Ceterum (quod tertio nos loco spondimus probaturos) si forte fortuna contingat, Sacrarum Scripturarum etiam de Physicis, Astronomicis, Mathematicis Quaestionibus Verba, & Oracula pronuntiata usque adeo clara, atque explicita esse, ut via nulla, ratione nulla possint cum recontrum Naturae Speculatorum Placitis conciliari, tunc certe iure suo utatur Theologus, si Physicum, si Astronomicum, si Mathematicum damnet, ac duris etiam Censuris inurat. Quod enim in Dei Verbo liquet esse verissimum, id quoque in Philosophia oportet esse certissimum; puridique fallacia laborabunt quaecumque verisimiles, ingeniosaeque rationes excogitentur ab Homine contra firmissimum hoc Fidei nostrae Fundamentum ab Augustino positum epist. 143. Si ratio contra Divinarum Scripturarum Auctoritatem reddatur, quamlibet acuta sit, falsis verisimilitudine; nam vera esse non potest. Hinc Lateranense Concilium V. sub Leone X. in Petrum Pompeanatum, ejusque Gregales Sententiam ferens (quod illi secundum Philosophicam Doctrinam mortales esse Hominum animos dicebant, licet secundum Fidem immortales esse affirmarent) rationem Damnationis invictissimam his verbis expressit. Cumque Verum Verum minime contrahat, omnem Asseritionem Veritatis illuminare Fidei contrariam, omnino falsam esse deservimus, & ut aliter dogmatizare non liceat, districte inhibemus (Sess. VIII. apud Eabbazum).

Et quidem Veritas una est: innumera ejus particula non pugnant inveniunt, non discordant, sed amice conspirant. Fac, aliquid fit verum Sacris in Litteris: necesse est, ut id quoque invenimur in Physicis. Rursus sit quidpiam certum in Physicis; dixisse aliter Divina Scriptura non potest. Cumque id inter Utramque discriminis addit, quod Ratio Fidei, non Fides Rationi subjiciatur; quia huic obtemperare potest error, illi non potest: cedat oportet Ratio Fidei, non Fides Rationi; uti profecto aequum est, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat.

In eo itaque Sacrae Scripturae, ac Philosophiae consensu, ubi certo deprehensus est Error, agat pro iure, pro potestate sua Vir Theologus, & Philosophum Dei Verbo contrarium, tanquam a prima Veritatis Regula aberrantem damnet confidentissime, debitaeque Censura configat. Sic sane Apostoli Mandatum implebit, 2. ad Corinth. cap. 10. consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus Scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.

Negua vero meritam Theologi Censuram eludet Philosophus refractarius, si forte reponat. Veritates illas Physicas, Mathematicas Astronomicas, tamen Sacris in Litteris expressas, ad Fidem spectare non posse; quod naturales illa sint, & ad Salutem minime necessariae; atque ita licere Naturae indagatoribus contrarium affirmare. Gerne profecto; gerne, eoque Siculis vaniores. Bisariam enim ad Fidem spectare aliquid potest, iudice Doctore Angelico 1. part. quest. 32. art. 4. uno modo directo, scilicet ea, quae nobis sunt principaliter divinitus tradita. . . . indirecto vero ad illa pertinent ea, ex quibus consequitur aliquid contrarium Fidei. Sicut si quis diceret, Samuelem non fuisse filium Heloanae: ex hoc enim sequitur, Scripturam Divinam esse falsam.

Nega E. G., Tyberio Casare impertitante Pontium

tium Pilatum Judaeam administrasse; nega a Titio, & Vespasiano everfam funditus Hierosolymam: res certe negabis ad Fidem per sese non attinentes, ad Salutem proflus inutiles, sed ad prophanam Romanorum Historiam spectantes unice; oblique tamen Deum negabis summe Veracem, qui Lucae cap. 3. dixit: Anno quindodicesimo Imperii Tyberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Judaeam . . . factum est Verbum Domini super Joannem Zachariae filium in Deserto. Christum etiam Prophetiam bonum fuisse negabis, miserae Civitati denunciantem: Circumdabunt te inimici tui vallo . . . ad terram prosternent te, & non relinquunt in te lapidem super lapidem, Luc. cap. 19. quae duo, Dei nempe, Christique Veracitas, summa sunt Christiana Fidei Capita, unde caetera pendent omnia. Violata itaque Fidei reus, velis nolit, habebitur quisquis in rebus etiam naturalibus contraria Sacris Litteris docuisse convincitur. At convinci cum volo; non temere, imprudenterque iactari. Quod tunc tantum fiet, cum alius Sacris Scripturae verbis sensus dari non poterit, quam qui vanis hominum Opinionibus adversatur.

Secundum has Criticae Leges a nobis haecenus constitutas, Divinum Mundi huius Opificium, quantum Theologi Officium postulat, explicabimus. Supremi Naturae Conditoris Opera omnia per sex Dies a Moyse distributa singillatim exponemus: ac si quid in iis explicandis Sacros Interpretes inter, rerumque naturalium Indagatores dissidium ortum est; si quae Divinae Auctoritatis, humanaeque Rationis nata in speciem dissonantia; non in Censuras, ut sepe fit, prorumpemus; sed amice, quantum fieri poterit, conciliabimus; parique omnino libertate & Philosophos in explicanda Natura, & Theologos in exponendo Dei Verbo suis uti iuribus permittemus.

Veniet itaque imprimis ad examen Quaestio illa celeberrima a Theologis prima omnium agitari solita; quales sex Dies illi sint, quibus Mundum hunc universum a Deo conditum scribit Moyses? Veri ne, propriique, & naturales; an typici tantum, & figurati? Hos figuratos duntaxat, ac typicos ex positris Principiis ostendemus; Mundumque non per intervalla temporum, & dierum, sed pene momento a Deo conditum, Augustino Duce, atque Magistro, demonstrabimus.

PRAELECTIO II.

Mundum fuisse a Deo conditum non per Dierum naturalium intervalla; sed brevi temporis tractu, ac pene momento, cum D. Augustino asseritur, propugnatur.

In ea, quam aggressi sumus, de Divino Mundi huius Opificio Theologica Tractatione, ut est ordine prima, sic & gravitate omnium celeberrima semper fuit inter Theologos Controversia, quae de Diebus a Deo Conditore ad Opus faciendum infumpris agitatur: in qua versanda, dirimendaque noitra, ut spondimus, in presentia desudabit industria: nam scilicet in prima Mundi Creatione Mollitudo rerum omnium paulatim, ac per intervalla temporum, & Dierum peacta sit; an brevi temporis tractu, ac pene momento gesta fuerit.

Fecit Controversia celebratam D. Augustini Sententia. Cum enim Theologi omnes, Sacrarumque Scripturarum Interpretes Moyses verba Genesis 1. tenacius amulentur; ubi tam accurate sex Dies, & singulorum spatia dinumerantur; & Sery Tom. IV.

quid Operis in unoquoque molitus sit Deus, adeo distincte fecerunt; eaque de causa Mundum sex Diebus naturalibus conditum arbitrentur; Augustinus ex adverso, more Aquile, altius infexit, & sublimius quidpiam excogitavit. Excelsa illa, ac prope Angelica, qua pollebat, mentis acie intelligens, sex illos priores Dies, quibus Moyses Mundum a Deo conditum scribit, si juxta proprium, ac nativum Verborum sensum accipiantur, gravissimis difficultatibus obsideri, subtilem profus, ac se dignam Sententiam excogitavit: Dies videlicet illos Mystice tantum, ac per Metaphoram intelligendos, juxta distinctionem Operationum, & Operum secundum naturam inter se diversorum: sic ut ipsamet Opera in lucem ex nihilo edita Dies a Moyse vocentur, ex Vespera & Mane coalescentes; quot Opera secundum naturas distincta, tot Dies: singula siquidem Opera in lucem educta Lux esse videbantur, & Dies; cum antea non essent, quod non extarent.

Nonnumquam etiam, ut lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 8. Dies illos per alteram Allegoriam intelligendos existimat, juxta Cognitiones Angelorum de rebus a Deo conditis habitas. Ita scilicet, ut primum Opus a Deo conditum, nimirum Lux primigenia, ut ab Angelo cognita est, sit Dies primus; secundum Opus, videlicet Firmamentum, ut ab Angelo cognitum, Dies secundus vocitetur; atque ita de reliquis. Diem autem quemlibet ex Vespera, & Mane coalescentem idcirco a Moyse dictum existimat; quia duplex, ut norunt Theologi, de re qualibet in Angelo Noticia est, Vesperina una, Marutina altera: prior, qua res extra Divinum Verbum per inditas sibi Species naturaliter novit; secunda, qua res ipsas naturaliter notas in Divino etiam Verbo supernaturaliter videt. En Sanctissimi Doctoris Interpretamentum.

Ceterum Theologos inter, quibus subtilis illud Augustini Sententia minus aridit, magnam partem invenio, qui pro sua in Clarissimum Ecclesiae Doctorem veneratione, ac reverentia ingeniosum Inventum nulla saltem Censura notent, imo etiam non sine laude proponant. Sed inveniuntur & alii plus aequo audaces, qui Augustinianum illud Interpretamentum, ut absonum, inconditum, erroneum, atque etiam haereticum damnant, minacique supercilio Doctorum Aquilam fuggillant, conviciorumque plautris inclementius onerant. Horum Chorum ducit Ludovicus Molina; qui uti circa Divinae Gratiae Quaestiones altius se Augustino pervidisse gloriatur, ita in ejus de momentanea Orbis Creatione Sententiam immittem Censuram exercet in Tractatu de Opere sex dierum Disp. 1. quasi haec Sacrarum Scripturarum Auctoritatem enervet, easque Infidelium ludibriis, & cachinnis objiciat. Sequitur Cornelius a Lapide, Censor & ipse, in suis ad Genesim Commentariis, eique eo in Capite Erroris notam inurit. Succedit Antoninus Moranes in Antijansenio Disp. 12. Augustini Sententiam a Doctoribus Catholicis communiter rejectam effluens. Mensuram demum cumulat ex eadem Schola Franciscus Arriaga in 1. part. D. Thomae Tom. 2. disp. 28. Explicatio haec, inquit, censetur communiter ab omnibus improbabilis; nec ego dabo, quin si Augustinum non haberes patronum, manifeste damnata fuisset ut haeretica. Quasi vero ut Haeretica? Equi vero Pontifices, quae Concilia, quae Synodi, quae Doctorum Academiae ita de Augustini Sententia iudicant, ut inter Errores, aut Haereses haberi debeat? Aut quae ipsi divinandis, quod scilicet fuisset, facultas desuper data fuit? Quam sibi Scientiam infusam, quam si



nam super hoc Revelationem ostendit; ut si pariter non haberet Augustinum, damnata, ut Heretica, Opinio illa fuisset?

Non ita profecto de ea Augustini Sententia iudicavit Doctor Angelicus (cujus quidem iudicio in hac parte stare debent ex Lege, qui talia profertur) in 2. Sent. Dist. 12. quest. 1. art. 2. ubi post expositam utramque de Mundi Creatione Sententiam ita demum colligit: Sed prior est rationabilior, magisque ab irratione Infidelium Scripturas defendens. Et post pauca: Hec Opinio plus mihi placet. Non ita abiecit de ea pronuntiavit Albertus Magnus 2. part. tract. 11. quest. 46. in solutione inquisiens post expositam Augustini Sententiam: & hac Sententia mihi probabilior videtur: cujus etiam rationem subdit, ut ibidem legi potest. Non ita despiciat de ea censuravit D. Bonaventura summum Seraphicæ Scholæ Sidus in 2. Sent. distinct. 12. art. 1. quantumcumque, inquit, hac Pœtio probabilis esset, & rationabilis; Carolici tamen Tractatores, qui Augustinum secuti sunt, viam aliam approbarunt magis. Mitto Regium Romanum, Dionysium Carthusianum, Caletanum, Melchiorum Cano, Dominicum Bannes, Vincentium Contensonium, Emmanuelem Cerda, Fridericum Gavardi, & Henricum Cardinalem Norisium, qui omnes hoc idem Augustini Interpretamentum aut re ipsa secuti sunt, aut cum magna laudis præfatione retulerunt.

Quam igitur infeliciter in censendo calculum ponant recentiores illi Theologi, Augustino minus additi, ne dicam magis infensi, in præsentia demonstrandum aggressi; latius in summum Ecclesiæ Magistrum iudicii inconsiderantiam ita mihi semo aperiendam, ut neminem futurum putem, qui non intelligat, Augustini Sententiam de Orbe absque Dierum naturalium intervallis condito, sit minus indubitata, atque certissima, ac saltem probabilem admodum, tutam, & ab omni Censura remotissimam esse; uno verbo dicam, talem omnino Sententiam illam esse, qualem illam haberi voluit Augustinus. Ea quippe fuit S. Doctoris in sentiendo modestia, ut suum illud Interpretamentum non nisi inter probabiles Opiniones haberi voluerit; alterique explicationi nullum se præiudicium afferre velle protestatus sit: Quisquis ergo, inquit ille, non eam, quam pro nostro modulo indagare, vel putare posuimus, sed aliam requirit in illorum Dierum enumeratione Sententiam, que non in Prophetia figurate, sed in hac Creaturæ ratione proprie, meliusque possit intelligi, querat, & Divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest, ut etiam ego aliam his Divine Scripture verbis convenientiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, que præponenda sit, inveniri non posse contendam. Ita plane lib. 4. de Genesi ad literam cap. 28. Quibus verbis ita se munitum voluit adversus Majevalorum Censuras, ut illa sola absolutissima Apologie loco haberi possint. Sed addamus nos ex abundantia.

Et quidem quoniam ea Sententia satis Augustino suffragatore munita videatur, ut ne hac quidem ex parte Calumniam pateat, quod paucos habeat Sectatores; id tamen notabo imprimis, fuisse quondam olim Eruditissimos Viros, qui illam, antequam Augustinus oriretur, strenue propugnarent: unde non parum illi auctoritatis accessit. Philo Judeus, vir Apostolicis temporibus proximus, Hebræorum Plato, & magne etiam apud Christianos auctoritatis, Sententiam Augustino contrariam de Mundi Opificio sex Dierum naturalium intervallo non rejecit modo, verum etiam irritis lib. 1. Allegoriarum, rusticana simplicitatis esse, inquit, putare sex Diebus, aut utique certo tempore Mundum conditum.

Accedit ejusdem Hebræicæ Gentis Plato alter, apud suos longe celebratissimus, qui secundo Christiani Nominis Sæculo floruit, Eruditionisque famam habuit non vulgarem, Rabbi Moyses Ægyptius lib. 2. Duchorii, qui hoc ipsum sex Dierum naturalium intervallum in Orbe condendo, uti Divine Majestati minus congruum rejicit. At minus ista moremur, tametsi apud æquos Ælimateores non ita flocci facienda videantur, qui norunt, quantum ab allegorico sensu usurpando Judæi Scriptores abhorreant, nisi illos gravissimi cujuspiam momenti necessitas urgeat. Præavit Augustino in eodem adfruenso Dogmate Origenes lib. 4. cap. 2. de Principiis, seu Periarobon, & lib. 6. contra Celsum, qui hoc idem variis Scripturarum Oraclibus probandum sibi sumit; ut mirari plane subeat, Sententiam illam unius Augustini Nominis circumferri, quæ tales, ac tantos ante Augustinum Adversarios habuit, ac Magistros: imo & post Augustinum magni Nominis, ac primi quidem Subsellii Viros præter superius laudatos, D. Thomam, Albertum Magnum, & D. Bonaventuram: nisi forte delatum Opinioni honorem putarint Theologi ex tanti Nominis dignitate.

Jam quid, si Augustini Momenta libremus? Nemo non sentiet, haud temere motum fuisse Angelicum illud Ingenium ad hujusmodi Sententiam alteri præferendam. Atque in primis quidem, quotquot Augustinum non cursim, aut defunctorie lectitarant, animadvertenterunt, eum omnia, quæ in utramque partem sensus Historici, & Spirituales a posterioribus dicta sunt, in antecessum occupasse; nihilque vastam illam, & Angelicam Mentem fugisse; diu ea de re dubitasse, antequam mentem suam, quo alii minime vellent, flexisset; ingenium exercuisse diu, atque vexasse, antequam pedem figeret. Quod sane argumentum est, nihil fuisse ab ipso ea in parte temere definitum. Enimvero Controverisiam hanc per varios passim Libros eum agitare video; Capitibus viginti quinque omnes Adversariorum aggeres occupasse, comminuisse, suffodisse: Difficultateque adverse Sententiæ Dierum naturalium intervalla statuentis pervidisse: quæ ad quatuor maxime Scopulos, ne facile navigaret, impingebat. Hos hic breviter observemus.

Primus Adversa Sententiæ Dierum intervalla in Orbe condendo propugnantis est Scopulus Opus quartæ Diei; de quo ita Moyses Genesis 1. Dixit autem Deus; fiat Luminaria in Firmamento Cæli, & dividant diem, ac noctem: & sint in signa, & tempora, & dies, & annos; ut luceant in Firmamento Cæli, & illuminent Terram: & factum est ita. Porro, inquit Augustinus, si quarto duntaxat Die condita sunt Luminaria illa, quæ dies, noctesque dividunt, quæ lucem, & tenebras participantur, uno verbo, quæ tempora, dies, & annos dimetiuntur, Sol nimirum, & Luna; qui fieri potest, ut tres, qui præcessisse feruntur, Dies veri, naturales, nostrisque similes fuerint? Equidem primigeniam quandam Lucem die prima creatam ait Moyses: fiat Lux; & facta est Lux: bene est: at quo pacto ex indiscreta, & erraticâ illa Luce ante Solis, & Lunæ Creationem coalescere Dies possent ejusdem cum sequentibus rationis, ac notæ (sic enim illos describit Moyses) nemo hæcenus feliciter demonstravit. Imo si ad illam Dierum, Noctiumque distinctionem faciendam satis erat primigenia, & erraticâ illa Lux, frustra Luminaria illa Magna condidisset Deus, quæ id beneficii Naturæ præstarent, quod tribus ante Diebus præstitit Lux erraticâ. Quare fatius reputavit Augustinus, hæc omnia ad Allegoriam spectare.

Secundum, in quem illidit Opposita Sententia, Scopu-

Scopulus est præpostera illa numeratio partium sex Dierum illorum: cum enim Diei naturalis pars prima sit Mane, postrema Vespera; illi tamen sex Dies inverso ordine a Vespera incipiebant, & ad Mane desinebant: factum est Vespere, & Mane Dies unus: Vespere, & Mane Dies secundus, tertius, & quartus: atque ita de reliquis. Quis autem dicat, Dies naturales ab ea parte exordium sumere, quæ Sol occidit, ac non potius ab ea, quæ nobis oritur; cum Solem prius oriri necesse sit, quam occidere? Sed & quis velit, præposteram re ipsa non esse numerationem illam, Dieque naturales re ipsa ab Vespera exordium ducere (quod tamen nescio, an æqua ratione dici possit) dicat amabo, qui fieri possit, ut prima dies a Vespera cœperit? Cujus enim generis esset prævium illud temporis intervallum, quod Vesperam præcessisset?

Tertius Contraria Sententiæ Scopulus erat, quod ea Mundum condendi ratio per motus, & intervalla temporis, ac Dierum minus Dei Dignitati consulere videatur: Hæc etenim & a Majestate jubentis Dei, & ab Officio obedientis Creaturæ aliena est. Imperiale quippe verbum Fiat sine mora præferat Deus, seu potius Mente concipiebat; eoque prolato, seu Mente concepto verbo, Creatura minime cunctabatur, quin statim obtemperaret. Cujuslibet ergo Diei Opus unico momento perfectum erat, quantum scilicet verbo Fiat concipiendo satis esset. Quid ergo fingere opus est, Deum, & semel prolata voce Fiat, toto reliquo Die inertem, ac desidem quievissse, ut Diem alterum exspectaret, quo novum Opus novo verbo conficeret? Hoc ipsum est, quod rusticana simplicitatis esse Philo Judeus observaverat: maxime cum sola Die septima Deum quievissse Scriptura notet. Quidni ergo hæc omnia spectamus ad Allegoriam?

Quartus Opposita Sententiæ Scopulus est Angelorum Creatio; cujus secundum eos Auctores nulla in hac rerum creaturam ferie mentio facta est: cum tamen æquum minime videatur, tam nobilem Creaturam, & cæterarum omnium principem silentio prætermitti. Idcirco motus est Augustinus, ut Lucem prima Die creatam, Naturam Angelicam per Allegoriam intelligeret; eamque Lucis a Tenebris divisionem a Deo subinde factam interpretaretur Bonorum Angelorum a Malis discretionem post peccatum ipsorum.

Scio, quid hac in parte respondeatur Augustino; Moysen scilicet Angelorum Creationem de industria siluisse, ne Hebræi, in quorum gratiam scribebat, quique ad Idololatriam sua sponte proclives erant, ad Divinum cultum Creaturis illis adeo sublimibus exhibendum moverentur. Sed & hoc scio, si quid ea Consideratio valeret, conficiens perinde fore, ut nusciam toto illo Libro Angelorum mentionem ingereret Moyses: idem enim Idololatriæ periculum suberat. Et tamen a Capite 16. ad 48. Genesis Angelorum mentionem sæpius ingeri nemo nescit. Quin potius, inquit ego, nulla meliori ratione a Divino cultu Angelis exhibendo Judæi retrahi poterant, quam si palam illis faceret Moyses, eos aqua cæterarum Creaturarum forte a Deo ex nihilo fuisse conditos. Creatura enim ratio cum Creatoris Prærogativa confundi nequaquam posset vel ab ipsis, tardioris licet, hebræicæque ingenii Judæi.

Præter eas rationes magnam vim Sententiæ suæ posuit Augustinus in locis Scripturarum, quibus in omni tua Opinione magnopere moveri solet. Legebat imprimis sub initium Genesis, In principio creavit Deus Cælum, & Terram. Id porro in principio, si ad initium Temporis referendum est, uti Patres referunt ferme omnes, unum quasi momen-

tum significat, quo Cæli, & Terræ Molitio confecta fuit: his vero duobus, Cælo, & Terra, quæcumque effecta sunt, continentur. Legebat & illud Genesis 2. ubi perfecta jam conditi Orbis Narratione ita subditur: Iste sunt Generationes Cæli & Terræ, quando creata sunt in Die, quo secit Dominus Deus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, & omnem herbam Regionis. Ecce sex illi Dies, quibus Mundum antea conditum exposuerat Moyses cap. 1. in unum Diem redeunt, in Die: & Opera per eos Dies divisa, Cælum, Terra, herbe ipsæ, & pabula; quæ die tertio creata dixerat Moyses, in unum coeunt: atque ita omne temporum, dierumque discrimen aufertur. Legebat tertio apud Job. cap. 40. Ecce Bebebot, quem feci tecum; nempe cum Homine. Bebebot hic secundum Interpretationem Patrum Diabolus est; qui tamen una simul cum Homine conditus dicitur. Cum itaque Diabolus ex communi Sententia prima Die conditus afferatur, Homo vero non nisi sexta, Dies confundere necesse est, ut una simul ambo creati dici possint. Legebat rursus cap. 18. Ecclesiæ. Qui vivit in æternum, creavit Omnia simul. Quo Testimonio nihil explicatius afferri posse existimavit Augustinus ad arcenda illa intervalla dierum, ac temporum moram in Orbe condendo. Movebat demum SS. Patrem Augustinum perituri Mundi conditio, qui certe momento absumendus est, ut inquit Apostolus, in momento, in istu oculi, 1. ad Cor. cap. 15. Cur ergo non & momento conditi debuit; ut ultima primis respondeant; parique fortuna sit & nascentis fabrica, & ruina cadentis?

Hæc omnia rationum, auctoritatumque Momenta defunctorie tantum ex variis D. Augustini Libris, atque Capitibus delibavimus; ut intelligant Artificari, qui allegoricam illam sex dierum Explicationem non improbant modo, verum etiam cum fastidio, ac supercilio Censuris proferunt, nihil ab eo fuisse temere statutum, ac definitum. In subsequentibus vero eorum in Augustinum Molitiones demoliemur; nihilque adversus illius Sententiam obijci demonstrabimus, quod ille non omnino præviderit, & in antecessum feliciter occupavit.

## PRÆLECTIO III.

Objectiones contra præcedentem D. Augustini Assertionem diluuntur.

Tri Augustini inclementes Accusatores satis opinor exagitavimus; ejusque Sententiam, qua rerum omnium Molitionem in prima Mundi Creatione non paulatim, ac per intervalla temporum, ac dierum, sed brevi temporis tractu, ac pene momento factam existimat, a Calumnia vindicavimus. Nunc tandem expendere juvat, quid suis Æmulis Mercurius aspirarit, ut Sententiam illam Erroris, atque Hæresios infirmarent. Multa siquidem illi Momenta congerunt & Sacris Literis delibata, quibus subtile, ut ait Angelicus, Augustini Excogitatum Divino verbo in Sacris Scripturis expresso vim maximam facere, atque ideo nedum penitus a Fidelibus rejiciendum, verum & a religiosis auribus procul arcendum esse, ne paris libertatis in cæteris Moysis narrationibus exercendæ caussa sit, & occasio, demonstrare nituntur. Aulcistemus ergo attentis auribus, quid dignum ferant tanto promissores hiati.

Capitale illud est, quod ex Moysis Narratione petunt Genesis 1. Is etenim, inquit, tam perspicue, tam accurate sex Dies discrete, eorumque spatia dinumeravit; quid per singulos dies effecerit Deus, ita minutatim exposuit, ut Historice



profus, & ad litteram intelligi velle videatur; cum alia distinctiora verba non modo proferri, sed nec excogitari quidem clariora possint. Et certe, subjungunt, si eam sex Dierum enumerationem ad meram figuram referre licet, periculum est, ne quidquam eorum, quae tribus hisce Genesios Capitibus continentur, secundum litteram verum fuerit: atque adeo tota de Molitione Orbis, de formatione Hevæ, de culpa, de poena Hominis, tota de Paradiso Terrestris Historia nulla erit; sed cuncta Figura, & Allegoria committentur: libera demum dabitur anfa ad similia Scripturæ loca elucidanda, & narrationes Historicas amputandas. En quo Argumento præcipue pugnent Augustini Adversarii; quo ariete admovent Sententiam de momentanea Orbis Molitione concutere sibi putent.

Arietem illum expedita Responsione dejicere sibi videntur Nonnulli, tria in Orbis Molitione Opera fecernendo cum Doctore Angelico 1. *part. quest. 75. in principio: Opus creationis, Opus distinctionis, Opus ornatus.* Creationis Opus prima Die, brevique intervallo, & ac pene momento peractum ajunt; & a Moyse his verbis expressum *in principio creavit Deus Cælum, & Terram*: quæ vero distinctis diebus facta subinde narratur, distinctionis duntaxat, atque ornatus Opera sunt; adeo ut ea temporum, diurnique intervalla a Moyse adnotata rerum jam primæ die creaturarum distinctionem, ornatumque dimeriantur, non creationem. Dicunt id aliqui aliquantulum explicatius. Uno, eodemque temporis tractu prima Die creata sunt universa; Lux, Firmamentum, Herba virens, Arborea, Luminaria magna, Animalia volatilia, natantia, ac terrestria; tametsi distinctis subinde diebus officia implere sua, & operari Univerfa cœperint: eaque idcirco de causa distinctis illis diebus a Moyse facta dicuntur; & quidem absque Metaphora; cum res tunc proprie fieri censeantur, dum earum virtus officio, atque operatione consumatur. Ita plerique objectæ primæ Difficultati respondent.

Verum cum bona venia dicam: qui ita objectæ Difficultati satisfaciunt, toto aberrant ostio, & ab Augustini mente descedunt. Quamquam enim Opus creationis vere ac proprie dictæ, ut est prima rei ex nihilo productio, ab Opere propagationis, atque ornatus distinguendum omnino sit (quod ex *vers. 5. cap. 2.* plane liquet, ubi virgultum agri a Deo creatum dicitur, *antequam oriretur in terra*; & herba Regionis producta dicitur, *priusquam germinaret*; hoc est, antea a Deo condita sunt, quam ornatum & perfectionem acciperent) adhuc tamen D. Augustinus quodlibet Opus, seu propagationis, & ornatus, seu creationis, uno veluti momento, seu brevi temporis spatio peractum existimat. Cum enim sex Dierum intervalla a Moyse adnotata figurate tantum exponenda putet; re vera autem unum veluti momentum esse velit; consequenter Opus etiam propagationis, atque ornatus, quod eo sex Dierum intervallo perfectum narrat Moyses, uno veluti momento peractum existimavit. Alioquin frustra sex illos Dies a Moyse notatos ad unum veluti momentum coarctasset Augustinus, nihilque diversum ab aliis docuisset.

Ad hæc etiam: quamquam in multis rebus a Deo creatis distingui facile possit Opus creationis ab Opere propagationis, atque ornatus; quatenus scilicet creati omnium prima poruit Materia rerum omnium, velut informis, & rudis quædam, indigestaque moles, antequam secutis inde Diebus variis a Deo Conditoris formas acciperet; qui tamen fieri potuit, ut tres omnino Dies veri, proprii, ac naturales, quales con-

traria Sententia fingit, effluerint, antequam Sol, & Luna, quæ quarta Die creata dicuntur, officia sua implere cœperint; cum sit illud primum illorum Luminarium officium, dies, nosciturque dividere, tenebras, lucemque partiri?

Quapropter ea Responsione veluti futili, & ab Augustini sensu aliena, penitus exufflata, objectam Difficultatem alia via diluendam aggredior: hoc videlicet pacto. Aliud longe est Dierum verorum, ac naturalium distinctionem, & intervalla in Orbe condendo diffiteri; aliud ipsam rerum productionem inficiari. Primum fecit Augustinus, non alterum. Neque necesse est, Augustinum totam rerum Creationem allegorice, ac per figuram intellexisse, propterea quod notata a Moyse sex Dierum intervalla secundum figuram accepit. Solemne quippe est Scripturæ Sacrae veris interdu Historiis, & secundum litteralem sensum enarratis nonnulla inferere, quæ nonnisi per Figuram accipi possunt. Sic E. G. Narratio de Lazaro mendico, & divite Epulone, *Luce 16.* judicio SS. Patrum Historica est, existitque re ipsa in vivis aliquis mendicus nomine Lazarus, qui de micis de divitis mensa cadentibus saturari cuperet; at tamen nonnisi secundum Figuram accipi potest, quod eadem in Historia legitur, divitem Epulonem in Inferno tandem sepultum Patrem Abraham compellasse, ut Lazarum e sinu suo mitteret, qui intincto in aqua digito lingue ejus ardorem restingeret. Non absimiliter Historica plane Narratio est de Rege Achab *3. Reg. cap. 22.*, fuitque re ipsa Achab Regum Israel unus, omnium perditissimus, Pater Ochoziz. Non id tamen obest, quin ejus Historia aliquid inferum legatur, quod nonnisi secundum Figuram accipi potest: quale est Concilium illud a Deo in Cælis habitum cum Angelis suis, ubi Diabolus comparuerit, exposueritque, quid demum facturus esset, ut deciperet Achab. Quid de Jobi Historia dicam, cui, tametsi longe verissime, multa tamen leguntur infera, quæ nonnisi ad Figuras, & Allegorias trahi possunt? Quid itaque vetat, Augustinum Moysen de Orbe condendo Narrationem sensu proprio, ac litterali intellexisse, quantum spectat ad res creatas, quamquam eam sex Dierum interpedinem in Orbe condendo secundum Figuram accepit? Ac re ipsa quidem Augustinum ab insula Calumnia vindicant Libri ejus de Genesi ad Litteram contra Manichæos; ubi totam Moysen Narrationem, si unam sex Dierum distinctionem excipias, Historice accipit, & accipiendam esse docet.

Dices forte: quamvis Sacris in Litteris exponendis Myticis aliquis sensus, ac Figuratus excogitari possit, sensus tamen Litteralis negari nunquam debet; cum ille sit potissimum intencus a Spiritu Sancto: itaque tametsi potuerit D. Augustinus ad Myticos sensus inflectere Dies illos sex a Moyse notatos, adhuc tamen Litteræ veritatem servatam, testamque servare semper debuisse; atque ita sex naturales Dies agnoscere a Deo insuamptos in Orbe condendo.

Pura, putaque hallucinatio illa est, ex eo profecta, quod non satis intelligant Aliqui, non unum esse Litteralem sensum in quocumque Scripturæ Sacrae contextu, qui necessario servari debeat; sed geminum pro diversitate sententiarum, atque contextuum. Sensus enim Litteralis quandoque Proprius est, quandoque Metaphoricus; quia Locutio ipsa quandoque Propria est, quandoque Metaphorica. Exempli gratia in hoc per vulgato Scripturæ loco *Kicit Leo de tribu Juda. . . . & in isto Orietur Stella ex Jacob: & con-* surget Virga de Israel, sensus profecto Litteralis est, in Littera nimirum expressus; non ille ta-

men Naturalis, sed Metaphoricus; quo Christus ipse significatur Nominibus illis metaphoricis *Leonis, Stelle, & Virge*. Unde qui ea Scripturæ verba de Christo exposuerit, sensum Litteralem servabit maxime; non proprium quidem, sed metaphoricum. Sic igitur D. Augustinus Litteralem Genesios sensum non negavit, dum Mundum brevi temporis intervallo conditum docuit; quia sex illos Dies a Moyse notatos etiam agnovit; metaphoricæ tamen expressos, non proprie; sex scilicet Cognitiones Angelicas, aut certe sex rerum a Deo conditarum Naturas distinctas.

Vim subinde maximam reperit D. Augustini Oppugnatores ex Præcepto de Sabbati observantia Judæis a Moyse dato *Exod. 20. & 31.* Observandi quippe Sabbati rationem petit Moyses ex numero Dierum, in quos primam illam Hebdomadam Deus operando distinxit; ut sicut ille sex Dies operando consumpsit, ita Hebræi totidem operando ducerent; ac uti ultimo quievit ille, ita & ii septimo vacarent: *Memento*, inquit, *ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo. . . . Sex enim Diebus fecit Dominus Cælum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in Die Septimo.* Quæ ratio nullius, inquit isti, ad institutum ponderis videretur, si posthabito dierum discrimine, uno veluti momento totum Mundi Opificium Deus Optimus Maximus absolvisset.

Sed & hoc ipsum inficior ego. Stare Præceptum de colendo Sabbato, & rationem Præcepti a Moyse assignatam contendit cum Augustini Sententia. Cum enim Moyses *Genesis 1.* Operationes Dei Creatis per rerum creaturarum Naturas distinxerit, easque Naturas creatas Dierum nomine per Metaphoram appellaverit, eandem loquendi rationem usurpavit Sabbati Præceptum indicens; illosque dierum Typos, de quibus in Genesi dixerat, Dies etiam pari Tropo, atque Figura in Exodo nuncupavit. Neque vero necesse est, Deum sex Diebus naturalibus Opus fecisse suum, quia sex Diebus naturalibus facimus nostrum; aliter quippe Deum, aliter Homines operantur; cum apud Deum non sunt Tempora, quæ apud Homines sunt. Eodem itaque loquendi modo utitur Legislator in Exodo, quo in Genesi. Imo, si licet proferre, quod sentio, in Genesi loquens, cum Dies illos, & Opera dividat, de hac ipsa Sabbati Lege cogitabat, primamque illam Hebdomadam Operum in figuras, typosque Dierum istorum, quibus Judæi operaturi erant, scribendo formabat; ut Hebræos ad Sabbati Legem eo veluti Typo manuduceret. Totum id compendio dicamus: sex diebus facimus opus, septimo quiescimus; quia sex Opera fecit Deus Dierum nomine per Metaphoram nuncupata, ac subinde quievit: sicque non propria, sed allegorice duntaxat Divini Præcepti ratio a Moyse data est.

Ne cui vero sublesta nimis ea Responsio videatur; neve putet, sex illos Dies, quibus Deus Opus suum fecisse dicitur *Genesis 1.* secundum Litteræ proprietatem necessario intelligendos esse, non secundum Figuram; quia in exemplum, & probationem afferuntur a Moyse Dies illi, ut evincat, sex Diebus, utique veris, & naturalibus, operari nos posse; *septimo* vero quiescere, id unum ad Scrupulum eximendum observare operæ premium est, Sacris Scripturis familiare esse, ut Divina interdu Oracula figurato duntaxat, & allegorice sensu accepta, in earum tamen Veritatum confirmationem proferantur, quæ vero, proprioque sensu sumendæ sunt. Sic Apostolus ad

Hebræos *cap. 1.* ex figurato, & allegorico sensu *Libri secundi Regum cap. 7.* ipse erit mihi in *Filius*; veram Christi Domini ex Eterno Patre Generationem ostendit; ejusdemque supra omnes Angelos prælationem. Sic *1. ad Corinth. cap. 9.* ex allegorico alterius Effati sensu *Non alligabis os boni erisuranti.* *Deuteron. 25.* evincit idem Apostolus, negandam non esse Sacris Ecclesiæ Ministris alimoniam. Sic Joannes Evangelista *cap. 19.* probat, Christi in Cruce penduli Ossa constingi non debuisse, quia de Agno Paschali, qui Christi D. Typus erat, scriptum habetur *Exod. 12. Os non comminuetis ex eo.* Quid ergo vetat, Moysen pari omnino loquendi formula usum, & figurato duntaxat dierum numero, quibus Deus Opus suum se cessidit *Genesis 1.* probationem petisse, ut justam Sabbati Legem ostenderet; hoc est, ut probaret, debere nos sex Diebus naturalibus laborare, & quiescere Die septima, quia Deus sex Diebus figuratis laboravit, & septima quievit?

Expeditis Momentis ab Auctoritate petitis, reliquum est, ut etiam Momenta a ratione deducta diluamus, quibus hoc idem Augustini Systema tanquam absurdum, & a reâ ratione sensus alienum impetere moluntur importuni Censores.

Sic porro illi in D. Augustinum argumentantur: Quis credat, uno eodemque momento peracta esse quæcumque de Mundi Creatione primo, & secundo Capite Genesios enarrantur? Quis uno, eodemque instanti temporis Lucem creatam sibi fingat, & divisam a tenebris? Terram aquis cooperatam, & discretam ab aquis? Terram inanem, & vacuum, simulque arboribus, plantis, ac floribus constam, & animalium mira varietate ornata? Hominem extra Paradisum conditum, & in Paradisum admissum? Eundem tandem sopore correptum, Mulieremque ex dormientis Latere formatam? Ea quippe momento fieri, ac sine temporis intervallo non possunt.

Bene profecto; repono ego; non possunt plane: at nondum Augustini mentem intelligunt, qui hæc in eum tela ferunt: imponant imo, quod nunquam illi venit in mentem. Dum etenim Mundum universum simul conditum ait, instanti, ac momento physico factum propterea non asserit, neque vocabulum *simul*, quod ille sæpius usurpat, pro momento physico necesse est poni; sed pro morula congruente rebus, quæ sunt brevi temporis intervallo, atque compendio: quapropter brevem temporis moram interdum appellat; ac sæpius etiam Diem, Moysen imitatus *Genesis 2. in Die, quo fecit Dominus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri.*

Sequitur Alterum, quod obijciunt; incredibile scilicet esse, Moysen Opificium Mundi rudi, & agresti Judæorum Populo describentem, sex illos Dies fecernere voluisse per Cognitiones Angelorum Marutinas, & Vespertinas, quæ ne ipsis quidem subtilioribus Theologis plene, ac liquido perfectæ sunt, & exploratæ.

Risum vix cohibeo, dum hæc audio. Equidem imprudentis animi vitium incurrisset Moyses, si in ipso Litteræ cortice, quem rudi Populo exhibebat, Cognitiones illas Angelicas enarrasset Hebræis penitus impervias: ac contra potius Prudentiæ laudem meruit, dum eas Anglicæ Mentis Ideas Symbolis Dierum naturalium, ac Typis vestivit, ut ipse a rudi Populo utcumque posset intelligi. Ea quippe est Figurata locutionis conditio, ut sensum reconditum, ac sublimem Symbolo plano, ac simplici tegat; ut hoc pacto a Rudioribus pro modulo capiat; utque *videntes non videant, & audientes non intelligant*, quemadmodum loquitur Christus in Evangelio, *Luce 10.* Quare frustra ingenium torquent,



quent, qui Augustino eo in Capite litem movere pertentant.

Quamquam tamen non semper ad eas Cognitiones Angelicas confugit ille; nec ad eas confugere necesse est, ut Dies illi sex Mystice, & secundum Allegoriam exponantur.

Verum urget illorum Unus, qui sibi videtur cæteris omnibus subtilius disputare: unde habuit D. Augustinus, Angelos sex tantum de rebus a Deo conditis Cognitiones habuisse, ut sex Dies a Moyse notatos, seu sex rerum Naturas a Deo conditas totidem Cognitiones Angelicas interpretaretur? Instat porro: quinam ex Angelis sex illas Cognitiones habere de rebus a Deo conditis? Si Superiores; plures igitur in inferioribus Angelis Cognitiones enumeranda veniunt: si Inferiores sex illas de rebus a Deo conditis Cognitiones habere, pauciores in superioribus Angelis Cognitiones ponenda sunt; cum superiores Angeli paucioribus conceptibus egeant, ut ea pervideant, que non nisi magna actu accensione cæteri vident. Cur vero potius Dies illos numerare liceat juxta Cognitiones superiorum Angelorum, quam inferiorum; aut inferiorum potius, quam superiorum?

Sic ille ariolatur, & ludit, Augustini Systema minus intelligens Sodalibus suis. Non enim idcirco putat SS. Doctor, sex illos a Moyse positos Dies Mystice intelligendos esse juxta Cognitiones Angelicas, quasi pro numero Cognitionum numerentur & Dies; sed quod Opera ipsa a Deo distincte condita pro distinctione Naturarum, & ab Angelis ipsis cognita, Dies veluti totidem nuncupentur Allegorice: seu, ut Theologi de Schola loquuntur, Dies & actus Cognitionis Angelicæ distinctos voluit Augustinus non ex parte Angelorum cognoscendum, sed ex parte rerum cognitarum ut ait D. Th. 1. part. quest. 7a. art. 2. De quibusvis igitur Angelis sermo fiat, sex tantum, habita ratione Operum editorum, & cognitorum, Cognitiones extitere; etsi plures, paucioresve pro variis Angelorum Ordinibus Cognitiones extiterint.

Nulli igitur Columnæ patet ea D. Augustini Sententia de Mundo absque sex Dierum naturalium intervallis a Deo condito, si res penitus pendatur, & vulgaria præjudicia seponantur, quibus Nonnulli minus cauti, minusque in Augustini, cæterorumque Patrum Lectione versati iter agere solent non quo eundem est, sed quo iter. Falsitatis siquidem revincuntur tot illæ Criminaciones, ac Strophæ, quibus S. Doctorem, ex præcipuis Ecclesiæ Patribus, atque Magistris fortassis Primum, ob ingeniosum illud Inventum onerantur, censura ipsi digniores, Aristarchi; quibus sane consultus fuisset, magnum Viri tanti Nomen, atque Doctrinam venerari, & amplecti, dictumque illud Volusiani alta mente desigere: In cæteris quibuscumque Doctores aliquis toleratur inficitia; ast ubi ad Augustinum ventum est, Legi Dei desit, quod Augustinum contigerit ignorare.

Erit fortasse, qui dicat, D. Augustinum huic Sententiæ non habuisse firmiter, propterea quod ille libro de catechizandis Rudibus cap. 17. disertis verbis affirmet, Deum sex Diebus Mundum condidisse, tametsi illum momento creare potuerit. Verum nonverit quisquis id obiecerit, D. Augustinum Librum de catechizandis Rudibus, (ubi Mundum non momento, aut brevi temporis spatium, sed Diebus omnino sex conditum ait) edidisse non post, sed diu ante Libros duodecim de Genesi ad Literam, Librosque de Civitate Dei; ubi tam prolixè, tam fute Mundum momento, seu brevi temporis spatium conditum docet. Quare

non Sententiam de momentanea Orbis Molitione revocasse censendas est Augustinus; sed vice versa Opinionem de Creatione per intervalla temporum, ac dierum facta, quam laudato Libro de catechizandis Rudibus obiter duntaxat innuerat, maturiori tandem facto examine, revocasse. Sed de his fatis: in sequentibus, opitulante Deo, de Tempore, seu Tempestate, qua Mundus conditus est, differemus.

#### PRÆLECTIO IV.

Non Verno, sed Autumnali Tempore initium habuisse Mundum, probatur.

**E**A nunc absoluta, cumulateque tractata celebrima Controversia de Diebus, quos Deus in Orbe condendo dicitur infumpisse, consequens omnino est, ut in altera movenda Quæstione animus intendamus, quam secundo loco pertractare Theologi, Sacrarumque Scripturarum Interpretes solent; quamque nos paucis expediemus, quam videlicet Anni Tempestate cœperit Orbis; seu quo primum anni Mense Orbis univèrsus volvi cœperit. Torfit hæc diu, multumque Theologorum ingenia; a quibus necdum eliquata, ac plane definita res est. Quamquam enim in id consentiant Universi, conditi Orbis initium in Æquinoctio fuisse, quod nempe æqua primum lucis, ac tenebrarum partitio; æqua noctium, diurnæque diviso Sacris in Litteris adnotetur; quia tamen duplex in anno Æquinoctium occurrit, Vernum unum, Autumnale alterum; illud Mense Martio, istud Septembri; Lis inde non modica exoritur, num Vere primo, an potius Autumnato cœperit Orbis.

Erunt fortasse, qui dicant, Quæstionem illam perperam, ac inutiliter agitari; qua nimirum Anni Tempestate Mundus esse cœperit, cum nulla Anni Tempestas præigi possit, quæ eadem tota simul in Orbe regnet. Dum etenim in Regionibus cis Æquatorem positæ regnat Autumnus, cæteris trans Æquatorem constitutis Ver est; & e contrario; sic ut univèrsim disputari non possit, qua Anni Tempestate totus Mundus inceperit: nunquam enim una, eademque ubique terrarum Tempestas est. Sed noverint quicumque id dixerint, Quæstionem a nobis agitari ex Sacrarum Scripturarum Oraculis; sic enim solem Theologi disputare: idcirco earum duntaxat Regionum comparatione disputamus, quæ cis Æquatorem constituantur; comparatione, inquam, Habitationis Adami, & Palatinæ, quarum præcipua ratio in Scripturis est habita, tum quod potior pars Orbis habitabilis cis Æquatorem esset futura; tum quod illos Terræ tractus habitatorum esset electus Dei Populus, ibique Redemptionis Humanae Mytheria peragenda essent, atque complenda.

Proposita itaque Quæstionis sensu ita exposito, de ea sic ego pronuncio: cœperit Orbis Autumnali Æquinoctio in Mensem Septembrem incidente, non Verno, quod in Mensem Martium incidit; atque ita primus Anni Naturalis Mensis non alius statuendus est, quam September.

Demonstrationis imprimis loco haberi potest, quod ubique passim in Exodo observamus; Judæos nimirum jam ante tempora Moysis, imperturbata Sæculorum omnium ferie, Anni Naturalis, & Civilis initia petiisse a Mense Tirsî, qui Septembri nostro respondet, dum Messis triticea in horrea condebatur. Sic cap. 34. Solemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tue triticee, & Solemnitatem, quando reduntur Anni tempore sancta conduntur. Certe si Mense Septem-

#### DISPUTATIO UNICA, PRÆLECTIO IV. 55

Septembri, quo cuncta conduntur in horrea, novus redibat Annus; initium igitur Anni Septembris erat; inde enim Annus redire dicitur, unde capit initium.

Hinc etiam Æstatis exitus finis Anni vocabatur. Sic cap. 23. Solemnitatem quoque celebrabitur in exitu Anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Porro si Æstatis exitus finis Anni est; initium Autumni, qui Æstatem proxime sequitur, Anni principium erit. Id certe vel Talpa vident.

Vultis aliquid longe gravius? Dum Solemnitatem Paschatis instituit Moyses, jubente Domino, novum Sacri Anni principium instituit, a Naturali, & Civili, quod antea in usu fuerat, longe diversum: utque eam Anni immutationem induceret, singulari Dei Præcepto fuit opus, quo primum Sacri Anni Mensem iussit esse Mensem Nisan, Martio nostro respondentem; quo Pascha celebrandum esset in memoriam Exitus de Ægypto. Explicatissimus est Scripturæ locus Exodi 12. Dixit Dominus ad Moysen, & Aaron in terra Ægypti: Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus Anni; videlicet Sacri. Jam, inquit, si Mensis ille Nisan, qui Martio nostro respondet, ac Verno Æquinoctio, primus Naturalis Anni Mensis extitisset antea, quemadmodum putant quotquot Mundum Vere conditum dicunt, nulla fuisset a Moyse in Mensibus Anni ducta mutatio; nulloque Dei Præcepto fuisset opus, ut eam apud Hebræos Mensium mutationem induceret; nullaque inter Naturalem, & Sacrum discretio fuisset.

Id observavit vir totius Hebræicæ Gentis longe doctissimus Flavius Josephus lib. 1. Antiq. Judæicæ. cap. 4. Moyses autem, inquit ille, Nisan, qui est Xanthichus, Mensem primum in suis Fastis ordinavit, quod per hunc Hebræos ex Ægypto educerent: eundem etiam omnium, que ad rem Divinam pertinerent, exordium fecit: alioqui quod ad quædam rerum venalium, reliquaque dispensationem Anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit. Initium igitur Anni Sacri a Mense Martio repetebant Hebræi; sed Anni Naturalis, & Civilis exordium a Septembri auspiciabantur.

Quid ad hæc adveffisse Sententiæ Defensores? Audio qui dicunt, Judæos quidem Anni Naturalis, & Civilis exordium a Mense Septembri petere solitos fuisse jam ante Moysis tempora; non tamen diu antea, atque a Mundi exordio; sed ab eo duntaxat tempore, quo in Ægypto commorari cœperant: tunc enim, inquit, Ægyptiorum morem secuti a Mense Septembri Annum auspiciabantur.

Verum hoc ipsis Effugium præcludit Scripturæ Sacre Auctoritas, quæ Judæos diu, antequam descenderent in Ægyptum, a Mense Septembri Annum auspiciari solitos fuisse perspicue declarat. Enim vero Diluvium annis sexcentis quadraginta duobus accidisse, antequam Jacob cum Filiis in Ægyptum descenderet, nota res est: tot siquidem sunt ab Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, quo Diluvium accidit ad Annum his millesimum ducentessimum nonagesimum octavum, quo descendit ille Jacobi, totiusque familie in Scripturis adnotatur. Porro Diluvii tempore, quo nulla adhuc in Mundo erat distinctio Populorum, Annum a Mense Septembri auspiciari solitos fuisse Mortales omnes ex lib. Genes. facile colligimus; siquidem cap. 7. ita legitur de initio Diluvii: Mense secundo, septima decimo die Mensis, rupti sunt omnes fontes Abyssis magne, & catarsis Cæli aperte sunt: certissimum autem est apud omnes, Diluvium præiori,

ac difficiliori sui parte hibernum tempus occupasse, pluviis, & inundationibus aptum: liquet igitur, Mensem illum secundum Anni, quo cœpit illa aquarum exundatio, ab Æquinoctio Autumnali, seu Mense Septembri numeratum esse, minime vero ab Æquinoctio Verno, seu Mense Martio; alias initium illud hiemis, ac Diluvii in secundum Anni Mensem nullatenus incidisset.

Idem evincimus ex ramo virentis Olivæ, quem Columba ex Arca emissa attulit decimo Mense anni, ut Genes. cap. 8. distincte notatur. Nam si ponamus, Homines ab Æquinoctio Autumnali Anni exordium petiisse, omnia recte quadrat: sic enim incidit Mensis ille undecimus in Julium nostrum, quo solent Olivæ virefcere: cum contra, si Annum ab Æquinoctio Verno, seu Mense Martio Homines computassent, incideret Mensis undecimus in Januarium, quo certe Olivæ minime virefcunt. Perspectum igitur est ex tota Diluvii Hystoria, Homines jam tunc Anni Naturalis, & Civilis exordium a Mense Septembri petiisse; atque ita Mundum tunc primum exordium habuisse; quod mihi sumperam demonstrandum.

Plura adderem, si foret opus, ut non modo Hebræos, verum etiam exteras Gentes omnium antiquissimas ab ipsis Imperiorum suorum incunabulis Annorum initia a Mense Septembri, & ab Autumnali Æquinoctio petiisse demonstrarem. Hoc ipsum de Ægyptiis testatur Cicero lib. 2. de Natura Deorum; & Lactantius lib. 1. Institutionum cap. 4. (citati apud Nat. Alexand.) & D. Hieronymus in Comment. ad cap. 1. Ezechiel. Adeo verum est, in eam Sententiam Nationes primitus conspirasse, ut Mundum ea Anni Tempestate, non Verno Æquinoctio exordium habuisse arbitrarentur.

Reliquum modo est, ut adversæ Sententiæ Patronos ad audientiam admittamus, satis pro debito nostro eorum Momentis facturi. Ut enim illi numero multi, & plerique Clari utique Nominis sunt, atque Eruditione conspicui; ita & Argumenta plura, eaque minime contemnenda profertur. Imo quod Sacris in Litteris de Ismaele dictum est olim manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum, Genes. 16. id de me certissime dictum iri in presentia non dubito, dum manus meas in explodendis Adversæ partis Momentis admoveo. Qua in re illud maxime doleat, quod cæterarum Disciplinarum Professores fuitineam Adversarios; quibus ea longe magis aridet Opinio, quæ conditi Orbis initium, Annique Naturalis exordium petit a Vere primo. Sic sane statuunt Humaniorum Litterarum Cultores, quibus Muse in deliciis esse solent. illudque Virgilio in Sententiæ suæ præfidium imprimis occentant lib. 2. Georgicorum:

Non alios prima crescentis origine Mundi  
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem,  
Crediderim: Ver illud erat: Ver magnus agebat  
Orbis: & hibernis parcebat flatibus Enri:  
Cum primum lucem pecudes hausserat, virumque  
Ferre progenies divis caput extulit arvis:  
Unnisque sese silvis, & sidera Cælo.

At nos Musas colimus severiores, Poeticæque valere iussit, Scripturarum Sacrarum Oracula veneramus; proindeque Parnassi Fabulis atreponimus. Quamquam tamen nil dubitaverim affirmare, Virgilium Veris nomine non eam singulariter Anni Tempestatem intellexisse, quam nos inter

Hic.



Hiemem, & Ætatem definimus: sed perennem amœnam, & suavis auræ temperiem; nec peculiarem aliquam Anni partem, qua primum cœperit Orbis, iis Verbis adnotasse, sed totum illud promiscue Tempus, quod Aureæ Saturni Ætati Poeta tribuit. Ver etenim aliquod peculiare Hiemi succedens tota illa Ætate nesciunt Viri de Fabula, sed Ver assiduum, & æternum appellare solent, ob perennem scilicet Telluris amenitatem, æerisque temperiem. Hinc Ovidius ex illa Fabulatorum gente

*Ver erat æternum; placidique reponibus arvis  
Mullebant Zephyri natos sine semine flores.  
Mox etiam fruges Tellus inarata ferebat:  
Nec venovatus ager gravidis carebat anistis.*

Humaniorum Litterarum Cultoribus subferuntur Astronomia Professores, quibus Sententia Creationis Mundi Vere primo usque adeo aridet, ut eam ob causam Signum Arietis, (quod Vere primo, ac Mense Martio regnat) initium esse, & caput cæterorum Zodiaci Signorum summa consensio designat; atque idcirco Anni Naturalis exordium ex ea Tempore repetendum existimant.

Hic tamen antequam progrediamur (ne cui fortassis Questio hæc frustra agitari videatur, cum nulla Anni Tempus præstigi possit, que eadem tota simul in Orbe regnet, alii eis, trans aliis Equatorem Regionibus possit) recolere juvat quod superius dixi, me, dum ex Scripturarum Orientalis Controversiæ hujus resolutionem desumo, earum duntaxat Regionum comparatione loqui, que eis Equatorem sunt constitute; comparationem nimirum Habitationis Adami, seu Palæstinæ; quarum potissima ratio Sacris in Litteris est habenda.

Hoc itaque constituto Principio; quod, ut locus Controversiæ detur, necessarium omnino est, de facili Astronomis reponere possem ego, unde illi habeant, Arietis Signum Anni principium indicare? Si dixerint, id eos constituere, quod in Equatore hæreat, qui in media Orbis parte situs est aequali inter utrumque Polum distantia, hoc ipsum & ego de Signo Libræ illis obijcio, quod Mensis Septembris Signum est, alterumque Æquinoctium designat; nulla etenim potiori ratione primo, quam secundo assignari potest initium Anni. Quod itaque ab Astronomorum arbitrio pendet (nulla siquidem ratio alia proferri potest) me nihil movet, ut superius adducta pro mea Sententia Argumenta repellam, & ab Opinione recedam.

Idem cum Astronomis statuere de conditi Orbis initio Simplicium Speculatores, & Manstratores. Illic quidem Ver primum Nature primitias, ac velut lacunabula vocitare solent; Vere etenim Prata fident, Olera, & Herba virefcunt, Flores erumpunt, Arbores frondes emittunt, & gemmas agunt. Et certe Die ipso conditi Orbis Præstitit Terra herbas virentes, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque seminem secundum speciem suam. Et rursum, cap. 2. Produxitque Dominus Deus de Homo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave. Tum subinde cap. 3. narratur, Mulierem Ser-

pentem tentatori respondisse: de fructu lignorum, que sunt in Paradiso, vescimur; ac post pauca: vidit igitur Mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu illius, & comedit. Hæc porro Fructuum maturitas Verno tempore congruit, quam Autumnino, quo simul & Herba virefcunt, & Arbores fructus emittunt. Tamen, ut fatear ipse, quod sentio, minus hæc omnia pro alterutra parte laudari possunt, ut ex ea Terræ virentis, aut maturorum Fructuum observatione Mundus aut Vere, aut Autumnino conditus asseratur; cum Regionem temperatam etiam inveniantur, ubi Terra qualibet Anni Tempore virefcit, Arboreque toto anno florefcunt, fructusque, alios quidem incipientes, alios maturefcientes, alios maturos profertur: quod & huic Regioni accidisse verisimile est, ubi Proparentes conditi fuerunt.

Quibus etiam addiderim, non esse ex prima illius Creationis adjunctis, & circumstantiis desumendum Argumentum, quo Vere primo productam Universitatem rerum probemus. Ut enim mirabilis fuit illa productio, ita inferre utique possumus, mirabiles quoque extitisse indiguitos effectus, ipsam Divina Providentia curante; ut nimirum, & Brutis animalibus pabulum, & Homini cibus præsto essent ex una, & eorum ex alia parte suavitas, gemmarumque amenitas ad recreandum nequaquam deficerent.

Jam Medicos si consulamus, vereor, ne & illos minus Sententia nostræ propitios inveniamus. II quippe Humana Vitæ initium atque adeo totius Anni exordium primo Vere constituunt. Vere siquidem dominatur Sanguis, humidus, & calidus Humor, inquit Galenus lib. de Natura Humana tract. 36. Quocirca Hippocrates Diem totius Anno proportionem quadam respondere censet, sic ut Matutino tempore Ver simile sit, Meridiet Æstas, Vespera Autumnus, Nocti Hiems, ut refert, notaque Galenus in 7. Epidemiorum Hippocratis n. 15. Ab Vere ergo, non ab Autumnino Nature secundum Medicos exordium accipit, eaque Anni Tempore velati renascitur.

Quibus tamen repono, Galeni Effatum minus aptum censeri debere, ut inde adversus Sententiam a nobis positam extendi aliquid possit. Quod enim alterationes quedam, e quibus prædominium illud Sanguinis, Humorumque emergit, in Animalium corporibus, (imo & ipsis Vegetabilibus) Vere primo fiunt, hoc procedit ex eo, quod, incipientibus Veris tempore in Aere alterationibus ex Solis ad Zonam nostram appropinquantis calore post diuturnam rigescens Hiemis pororum obstrictionem, compressionemque fibrarum, meatus corporum denuo aperiantur, fibræque ipse magis dilatentur, atque explicentur; nec non novorum olerum passu diversa multo in Animalium stomachis concoctio fiat, atque digestio, unde Humorum alterationes illas derivari necesse est: hincque Purgationum opportunitas, Sanguinisque emissionum a Medice Artis Peritis statuitur, maximeque probatur. Quamquam tamen & Autumnali tempore ea omnia (remissius licet) contingere, pro comperto habeamus quotquot animalia carne sumus induri.

Quod autem ab Hippocrate attinet; do lubentissime, Matutino tempore Ver respondere, Vespera Autumnum, sed ex hoc ipso validissimum pro mea tuenda Sententia Argumentum deduco. Quandoquidem Diei initium juxta Astronomos, quibus potissimum hæc in parte inhaerendum est, non a Solis Orru (ut putatur a Vulgo) sed a Meridie computari solet; (unde Horæ Astronomice exordium habent) ita ut Pars diei

postmeridiana, in qua Vespera sita est, prima Diei pars censetur: quod quidem, & in ipsa Scriptura Sacra fundamentum habet, dum Creationis Dies enumerans Moyses semper a Vespera computum ducit: factum est vespere & mane Dies unus. . . Dies secundus. . . Dies tertius, & sic de aliis. Quare pro mea potius Sententia stat Hippocratis allata Auctoritas.

Apud Jurisconsultos jam dudum in nos præjudicata Lis est. Siquidem in Synodo Palæstina sub Teophilo Episcopo Cæsariensi celebrata, cujus mentionem ingerit Victor I. Romanus Pontifex in Epist. Decretali de Paschatis Celebratione, re ista in iudicium vocata, omnium Patrum consensu declaratum est, Mundum Verno tempore fuisse conditum, ut ejus in Actis legere est apud Bedam lib. de sex Ætatibus Mundi.

Grave id fateor, nec sperandum profecto iudicium; si tamen, que dicitur lata Sententia, facti veritate niteretur. Verum longe aliter se res habet. Nos Synodum quidem in Palæstina sub Theophilo celebratam certo scimus actum in ea de Paschate celebrando Dominica Die post Lupan XIV. Martii, seu post Vernum Æquinoctium ultro damus; id enim & Victor in Epistola Decretali, & Eusebius lib. 5. Hist. cap. 23. profertur: at vera esse, ac genuina Acta illa a Beda venditata, unde illa de Orbe in Verno Æquinoctio condito Probatio petitur, omnino negamus. Bedam ea in parte a quodam Impostore delusum probant Viri Criticæ Scientiæ periti, Jacobus Santabonius, Petrus Bosquetus, Bollandus, Balufius, alique bene multi Galliarum nostrarum Scriptores Eruditissimi. Quamquam tamen, si Acta illa, uti genuina exciperentur, nulla ratio cogeret, ut quod in iis de Mundo condito Verno tempore obiter insertum est, instar Definitionis Ecclesiasticæ susciperemus.

Duo quippe in Conciliorum, Romanorumque Pontificum Decretis fecerenda veniunt, si sapiamus, ut debemus: unum, quod ex instituto tradatur, ad Fidem, vel Mores attinens; alterum, quod ex occasione, & obiter tangitur, a Fidei, Morumque Questionibus remotissimum. Primum instar Sacri Oraculi habendum est, ut quod Dominica Die post Vernum Æquinoctium Pascha celebrari debeat: cæterum alterum privatæ duntaxat Opinacionis loco habendum est. Certe Zacharias Romanus Pontifex Epist. 10. ad Bonifacium, dum quædam ex instituto persequitur, perverfam, & iniquam Doctrinam obiter appellavit, que ponit Antipodas; neque tamen eo verbo tertius fuit Ligur ille Argonauta, Novi Orbis detector, quin ad Antipodas classem duceret, magnasque inde gazas in Lusitaniam reportaret.

Stat igitur adversus tot Scientiarum Professores inconcussa Sententia, que Mundum Mense Septembris in Autumnali Æquinoctio conditum asserit, atque defendit. Ad difficiliorum agitandam Questionem in sequentibus linguam, & animum convertemus.

## PRÆLECTIO V.

*Præadamitarum Erroris Origo, Systema, & Fundamenta referuntur.*

**E**rrorem Præadamitarum, qui alios ante Adamum Homines extitisse, Terramque incoluisse fabulantur, in præsentia consuturari in id ante omnia incumbemus, ut quinam Hæretici illi fuerint; quo potissimum Capite versetur illorum Error; ac unde originem duxerit, breviter exponamus: ne si minus tria hæc in aperto poni, & Serry Tom. IV.

elucidari contigerit, pugnare in aera videamur.

Præadamitarum itaque Fabulæ Parens Peirerius vulgo fuisse creditur, Vir professione Medicus, Religione primo Calvinista; qui, cum in illa Secta versaretur, Librum ea de resipissum edidit, quemque subinde, ejurata Hæresi, Romæ cum degaret, sub Alexandro VII. contraria scriptio confutavit; ita tamen leviter, atque fucinate, ut nemo non videat, eum repugnante amico palinodiam decantasse. Errorem hunc Peirerio multo antiquiorem non dubitaverim affirmare. Notat quippe Rabbi Maimonides, Scriptor Hæbraeus in More Nevachim, Zabros, nescio ejus ævi, ac futuris Viros, docere solitos fuisse, Adamum Patrem, ac Matrem habuisse; imo etiam in Moribus, ac Litteris Institutorem sortitum esse, atque Magistrum, Tambuscum ex nomine dictum. Quamquam & ea Zabazorum Fabella novo labore absurdo; sic enim non modo alii ante Adamum finguntur Homines; verum & Adam ipse a Deo minime conditus dicitur, sed ab aliis Hominibus & genitus, & institutus.

Sentiunt porro hodie Præadamitæ Fabulatores, duas diversorum Hominum procreaciones a Moyse initio Genesis enarrari: unam Capite primo; Capite secundo alteram. Illam, qua conditus fuerit Gentium Parens, & Caput; cujus & Nomen, & Posteros stentio Moyses prætermiserit; istam, qua Judaicæ Gentis Proparentes, Adami nomine nuncupatus, in lucem prodierit: illam demum longo annorum, ac seculorum tractu ista priorem. Quia enim (inquunt Novatores) Judæorum Gens segregata erat ab aliis universis Terræ Gentibus; AuGor idcirco Pentateuchi Moyses, Judæus & ipse, cui constitutum erat Gentis suæ originem, Leges, Propagationem, Cronologiam enarrare, breviter, & in Preludii modum, recensita Gentium Parentis, totiusque Mundi Creatione Capite primo, seorsim subinde Capite secundo describere aggressus est, peculiarem Formationem primi Hominis Judæi, a quo Gens illa peculiaris, & electa derivata est; cujus Annales scribendos aggrediebatur. Hinc Proparentem duplicem ponunt Præadamitæ Fabulatores, duplexque Hominum Genus, Gentium scilicet, & Judæorum; utrumque ex vario Stipite propagatum; ac illud quidem longo temporum intervallo istud alterum antevetens.

Dedit huic Interpretationi occasione servata a Moyse scribendi Methodus. Is enim cap. 1. Genesios universalem Orbis Creationem enarrans creatum quendam Hominem, ejusque Conjugem scribit obiter satis, ac desuntorie; eorumque nec Nomina, nec Sortem, nec Posteros notat. Creavit Deus, inquit, Hominem ad Imaginem suam: ad Imaginem Dei creavit illum; Masculum, & Feminam creavit eos; ac nihil ultra præterea. Tum subinde Capite secundo cujuspiam Hominis, ac Mulieris Formationem describit prolixè admodum, atque distinctè; formationis Apparatum, ac Pompan; imposta utrique Adæ, & Hævæ Nomina: ut plane videatur, duos istos ab iis, de quibus Capite primo dixerat, fecerere voluisse.

Certe, ut fatear ipse, quod sentio, vix ullum tota retro Antiquitate Errorem observare contigit, qui gravius in speciem Fundamenti incumbat; ut evincat Homines aliquos Adami Creationem antevetisse, Mundumque istum diu admodum ante Adamum incoluisse. Decretorium in primis videri potest, quod cap. 4. Genesios legere est; ubi Cain Adami Primogenitus, perpetrato Fratricidio, timore correptus Deo minitanti gemebundus respondit: Ecce ejicis me hodie a facie Terræ; & a Facie tua abscondar; & ero vagus, & profugus in Terra. H